

Pindari & Chymistæ aurum dicatum esse ferunt Soli. Aurum, quod statim suum est, & quod obryzū nominant, aut effoditur è terra, aut lauatur in rivulis. E terra quod effoditur, aut sincerum est & solidum: aut scintillis lucentibus tinctum atq; imbutum, vt quod adhæret lapidi cæruleo in monte Carpatho: item lapidi fissili. Reperitur autem in propria vena, & in saxis splendore candidis: item in pyrite proprio: aliquoties in pyrite ferri. In Hyrcania glebas maximas auro micantes reperiri ait Marcellinus, lib. 23. & in Galicia frequenter glebas aureas aratro excindi testatur Iustinus lib. 44. quinetiam aurum terra fulgure proficissa detegi, scribit idem. In insulis nunc Moluccis in arenis colligitur: cuius auri massas orbiculares tres, Georgio Saxonum duci Carolus V. dono misit. In montibus Gilouensibus Boëmiæ auulsam de filice auri massam pondo duodecim, & ad regem